Jahrhunderts

Dresden
und
Leipzig
1792.

LVNA RORIDA IN OBITV ILLVSTRIS ET MAGNIFICI DOMINI, D. ALEXANDRI SIENIAWSKI.

CVIVS IMBRES

Rusſiâ totâ eiusq; clariſsima Metropoli depluentes.

PALLAS SIENIAVSCIA

Clypeo excepit lachrymasq; miſcens chartam inſperſit.

ILLAM

Illuſtribus & Magnificis Dominis

D. NICOLAO INCISORI REGNI POLONIAE

ET

PROCOPIO SIENIAWSKI

Fraterna morte mærentibus.

AD SOLATIVM OBTVLIT,

Dicatione mandata

Nobili PROCOPIO LVDZICKI.

LEOP: Colle: Socie: IESV Cand: Eloquentiæ.

VI SæVIt MorDaX ParCa.

1622

IAROSLAVIÆ

AD
INSIGNIA GENTIS
ALLVSIO.

LVNA per æstiuos quæ rores dissipat Austros,
Quæ demum Zephyris sollicitata pluit,
Rorat in Euronotos, nimbos sterilesq; maritat.
Quis nouus Astrorum destruit ordo vices?
Inferius turbæ! tepido nox humida fletu
Astra, super Domini, flere, sepuchra docet.
AEgida quid dubitet SIENIAVSCIA subdere Pallas?
Quid dubitet socij iungere roris aquas?
Vellet si Ambrosiâ Musarum accendere venam,
Nulla isto melior nectare vena fluet.
Ergo imbri Diuæ, puram supponite Chartam
Quælibet illius lachryma, carmen erit.

ANTELOGIVM
Ad Illustres & Magnificos D. D. NICOLAVM INCISOREM R. P. ET PROCOPIVM SIENIAWSKI.

PAlmæ cortice laureo recisæ.
Feralis subeant vicem cupressi.
Pullas sumite purpuræ lacernas,
Pullæ sumite purpuras lacernæ,
Pallas, laurea necte serta, myrtho
Vel de, myrthea necte serta, lauro.
Hæc mors funera miscuit triumphis.
Hæc ô Sarmatiæ duæ vniones
Gemmæ nobilium, Fauorq; Regum
Arcti Sidera Lechicæ SIENIAWSCI,
Vobis præfica miscuit Camæna.
Fraternis lachrymas acerba bustis
Inspergens memores: legent minores
Olim quas animæ. notisq; lessos
Cædit Palladijs, quibus superstes

Virtus sanguinis aurei perennet
Cedros posthuma fratris amplitudo
Deposcit, cariem perosa tristem,
Arrosam fugiens luem sepulchri.
Letheos latices, celoce virtus
Tranquillâ secat: atq; roris expers
Innat lethiferi, serena puro
Fati nescia, remigat Trione.
At vos, o duo siderum Pyropi
Fratres sanguine, Marte, Corde Fratres.
Virtute & patrio decore Fratres;
Nostro tendite fausta vela lembo.
Vt quamuis, nigra per Charontis arua
Ducat remige funebri carinam,
Nullâ nomina scribat in Charybde:
Cælo sidera patrio fauete.
Lunæ flamina prosperi vouete.
Quæ dum per reduces polo rotatus
Gyrat gemmea, mensibusq; menses
Annosq; ex alijs reducit annis;
Vestris gemmea mensibusq; menses
Nectat, lustraq; mille, deînde centum,
Deîn mille altera, dêin secunda centum,
Et sic millia mille lustra nectens,

Quotum

Quotum nesciat ipsa mille nectat.
His confusa modis: trahat fauores
Nexu haud impare, Principes, Equestres;
Vt SIENIAVIA lux Amata, Amorem
Tum demum doleat remissum: Amari
Cum se lux Tenebris minus dolebit.

Procopius Ludzicki.
Eloq: Cand

GLORIÆ MONIMENTVM ALEXANDRO SIENIAWSKI PRINCIPI IVVENTVTIS RVSSIAE.

FVIT illa virtutis laboribus induratæ ſemper facultas generoſa, vt mortalitatis depreſſos rideret ſui fulgores, & inter funebrales pompas, ſepulchrales faces, luctuoſos & ſqualidos templorum parietes, maieſtatem ad honoris pulchritudinem exactam erigeret, puluerulentamque morte Gloriam vindicaret, à ferali Libitinæ buſto ad immortalitatis triumphos tranſmittendam. Equidē niſi hoc pigneratum ſibi meritum tenuiſſet, aut calamitate violata tabeſceret, aut flaccida remiſſam manum mortalium ad heroïca operis monumenta proſequenda non aſſueſceret; quorum cæleſtis ille vigor, corporea mole præpeditus, ad virtutis fortunam nouit exardeſcere, perennaturos honoris, amplitudinis fructus in omnem æternitatem poſſeſſurus. Inſtitit Magnanima virtus præmium meritis par ſemper dependere, ad buſtū optimæ mētis virorum, viuaces Aquilas Strenuæ, liberalis induſtriæ buccinatrices defixit, vt Ariſtomenes Le-

chicos

chicos Apotheoſi immortali tranſcriberet, & à ferali pōpa animos ſecretos, æternitati deuoueret. Sedulò primam ætatis operam, vnde velut à carcere ad metam fortitudinis & prudentiæ decurritur ſcrutata eſt; adoleſcentiæ omnem fructuoſum inueſtigauit apparatum; domicilium perfectioris vitæ ad præclara togatæ diſciplinæ; ad fortunata ſagatæ Palladis ſtudia compoſita perluſtrauit; ſi forte egregia virtutum veſtigia reperiſſet, ampliſſimo ſtatuarum elogio, & ornamento cumulanda. Traianus olim Imperator ALEXANDRI Macedonis morte ſublati domum ingreſſus, viduatos penates ampliſſimo hoſpite, cuius animus ad totius mundi miraculum, Imperij vniuerſi regndam ſibi Monarchiam addixerat contuitus, Virtuti honores detulit, impares ALEXANDRO, & Manes Auguſtos omni mortalium fama potiores, ſiquidem coloſsis non licuiſſet, Encomio ampliſſimo honeſtauit. Satis id fuerat Imperatori; niſi Gloria ampliora ad ALEXANDRVM Noſtrum detuliſſet ſplendoris ornamenta. & in adoleſcente SIENIAVIORVM familiæ lucidiſsimo ſidere, ſuam induſtriam triumphare voluiſſet: non ruinoſo pegmate Sarmatiæ proponendam, at ſolido pietatis & virtutis ſtabilitam monimento, ad

æmula-

æmulationem & ſtudium Sarmaticæ nobilitatis extruendam. Vidit nimirum qua contentione generoſus ALEXANDER ad culmen fortunatæ ſortis accedere vellet, quam virtutis orbitam Maiorum pulcherrimis trophæis excitatus diligeret. Spirantes bellicum Nomen contuitus eſt SIENIAVIORVM ceras, illa Poloniæ decora & triumphatores proſpectans Duces, quibus exantlati in re Martiali labores, deuoratæ moleſtiæ, compendio purpurato ampliſsimos laborum fructus, dignitatum ſolemnes & ſtatas numerarunt lauros, quorum induſtria beneuolentiæ dulcedine colligata, ardorem bellorum in militum animis produxit, vis generoſa rebelles Scythas ſubegit, pacis commoda recuperauit, Sarmaticæ victoriæ barbaris ſubiectis, ad poſterorum recordationem fulminantis Gradiui ornamenta excitauit. Atqui pacatioris ſapientiæ illectus amore, commercium ſalutaris otij præ buccinarum fragore deligens, exarſit ad familiæ & generis continuandum ſplendorem animoſior, quo nobiliſsimæ ſtirpis SIENIAVIÆ bina ornamenta roboris & dexteritatis excellens in Tartarico agmine perrumpendo argumentum proponentia, ad maieſtatem excelſi meriti aſſurgere cerneret, vt ſapi-

entiæ

entiæ ornamento, virtutis quietæ amore innutrito, per contentiones ſalutares commercio pietatis illigatus Reipub: illuceſceret. Extulit Gloria primos paſſus immortalitatem ambientes, & per lubricum adoleſcentiæ curriculum, ad domicilium ſanctioris palæſtræ approperantes: priuatas & ſolitarias virtutum noluit vt luſtraret domeſticus officinas; dedit Luci, & Soli, vt remotiſsimarum nationum æquè ſapiente ac probo colluſtratus iubare, palmata in patriam referret animi emblemata, ſeria ſolicitudine ad exquiſitam prudentis & excocti animi trutinam comparata. Perrexit animoſus prudenti munitus ſapientiæ præſidio, ad cuius arbitrium dum ſeſe æſtimat, inſolitis inardet pietatis amoribus, quæ choro integerrimo ſtipatæ virtutum, delicias caſtigatæ vitæ iniecit ALEXANDRO, vt æquabili natura compoſitus magnanimitate ingenua nobilis, diligenti & cogitabunda prouidentia præditus, curſum honoris aggrederetur ſapiente ad miraculum probitatis circulo definitum. Vnum fuerat cauto nimium deſignatum præſidium, ne ad æſtuantes voluptatum Syrtes flacceſceret, ne ad laſciuientis æquoris, curſu ætatis abreptus, delicias adhæreſceret; recti ſyncera & obfirmata voluntas capeſ-

 ſend:

ſendi; quod extorquere impetus adoleſcentiæ alludentis non potuit, violare ferocientis ſeculi ferueſcentes fluctus non valuêre, ſolida conſtantiæ rupe diſſoluti, ad excellentem Cynoſuram probitatis SIENIAVIÆ diſsipati. Enimuero quãto compendio generoſum virtutis portum tetigerit, teſtis eſt Romanæ vrbis authoritas, cuius elogio continentis vitæ retulit teſtimonium: teſtis Senatus purpurati iudicium, cuius amplitudo, non ſemel ALEXANDRI virtutem, graui decorauit verborum argumento, teſtis Italiæ finitimarumq; regionum euidens, præconium, vnam in ALEXANDRO ſapientem probamq; doctrinam dùm attendunt vniuerſi, ſanctitatis domicilium ſimul ſuſpexerunt, fortitudinis arcem adamarunt; humanitatis ſedem coluerunt, aram clementiæ conſpexerunt, ſacrarium manſuetudinis & temperantiæ, vno verbo virtutum theſaurum ſunt admirati. In Sarmatici ſplendoris incrementum tanta SIENIAVIÆ lucis (inquiebant) progreditur amplitudo, clariſsima bonorum copia Poloniam, Rempub: decoratura vniuerſam. Terna Heroüm conſurgit maieſtas, Patriam ad excellens honoris faſtigium vocatura. & per operis bellicoſi induſtriam, in Gloriæ amplexu reponenda.

da. Innatus virtutis callosæ, masculiq; pectoris spirat in vultu vigor, aureum spondet fortunatæ ætatis ver, spondet pacatæ sapientiæ, & honestatis felicia ornamenta. Crescat Par Fortunæ excellenti quodam priuilegio generis, in penetrale ac fastigium Reipub: militaris admissum, & grandibus vestigijs honorum latos clauos mereatur. Tu verò defige ALEXANDER digniorem in probitate passum ALEXANDRINÆ Gloriæ iste Marethonius campus est, in quem liberaliter, vbi se effuderit contentio, erit quod in Patriam vniuersam, Familiam posit ampliter deriuari. Quid ingenuo pectore dispensas in honoris sagati togatiq; curas animum? Insiste quod agis Fortunatæ Virtuti, prensatrix illa tui Gloriæ te committit, per Sarmaticũ cœlum amplissimo pietatis curru deuehendum Vota cessissent vtinam ad amorem Patriæ, ad ALEXANDRI fortunatam sospitatem. At quis inimicam Gloriæ Fortunam dixerit? cuius in complexu reuirescere solent ad æternitatem, quotquot sapientes virtutis cultores amoribus sapientiæ percelluntur. Erectum duxit ALEXANDRVM & compendioso Modestiæ & Virtutis itinere, augustos limites honorum patefecit. Comitem sedulam ALEXANDRO se de-

ſe dedidit, veſtigauit aditus, quibus Nobilem ætatis indolem ad amores omnium tranſmitteret. Deduxit florentem pietate, in ipſa Regni Poloniæ penetralia, Sigiſmundo III. Potentiſsimo Regi rara & amabili pulchritudine fulgentem protulit, Wladiſlai Principis in vſu & conſuetudine poſuit in amoribus & delicijs ampliſsimorū Senatus Procerum collocauit, omnium voluntates & affectus ALEXANDRO deuinxit. Quis enim candidam ſublimi virtuti deuotam ætatē non adamaſſet? hæres ille ampliſsima poſſeſsione Gentilitiæ laudis, è natiuo fonte probitatis omnis, pulchritudinem decerpſerat; Themiſtoclis prudentiam, Scipionis magnanimitatem, Æmilij religionem, Pauli innocentiam, Metellorum pietatem, conſtātiam Fabiorum, dicam vno verbo præclariſsimorum laudes hominum, tanquam in breui compendio in vno ALEXANDRO veræ Gloriæ Antiſtite fuiſſe conſignatas. Cedo mihi, quis facilitate ingenij omnium hominum animos ſibi deligauit, ALEXANDER deuinxerat: quis feliciſsimos ſuæ ætatis Principes, iuuentutis Duces comitate deliniuit, prudentia fouit, dexteritate cōplexus eſt? ALEXANDER tenuerat: quis Poloniæ cancellos dedignatus, virtutum ſuarum pul-

chri

chritudinem ad Regionum externarum admirationem & laudem protenderat, ad cælum famam, ad hominum posteritatem Gloriam & literarum monumenta, nominis sui splendorem lumenq; propagauerat? ille idem ALEXANDER, qui tandē, ne hæc postrema etiam laus desideraretur, vt splēdorem virtutum cōsequeretur ampliorem, humana hæc omnia fragilia & caduca fatali necessitate præcisus despexit vt euectus super humanam sortem Gloriæ immortalitatis coronas perciperet lemniscatas. O verè dignum pennato gloriæ curru ALEXANDRVM! cuius illustris animus vt speramus, eò traductus est, vbi nulla annorum intermissione, fortunatissimus iuuenis conquiescit, cuius famam, nulla seculorum, ætatum nulla vetustas, inuida nulla sors obliterabit, cuius memoriam Sarmaticæ Regiones amplissimo virtutum ipsius odore recreatæ, præstantia castissimæ mentis delibutæ, ad pietatis & omnis Modestiæ exemplar continebunt. Hyacinthum fabulosa vetustas in florem nominis sui commutauit, ne puchritudinis ille cādor in puero fatis marcescente deperiret. Quid Adonidis Narcissiq; fulgores ad coloratam floreæ venustatis Idæam contemnendam reuocatos? Habet operosa Gloria suis quos illustrat decoribus

augustos penates designatos, qui veluti flores in æternitate perennaturi, thorulis cælestibus inserti, suauissimos iaculantur odores, qui munitissima veluti virtutum propugnacula honore & dignitate conspicui percipiunt, à mortalitate duratura laudum monimenta. Quid enim mæroris illa, quid luctuum præseferat, à mærore & luctu vindicans in solidi honoris maiestatem? Quid in discessu ALEXANDRI præferat tristitiæ? cuius ad Superos accessum coronario decorauit apparatu, cuius in occasu, si ille ad immortalitatem accedenti occasus dicendus est, ornatu pulcherrimo virtutes animi, veluti nouas produxit Canephoras, vt circa tumulum ver æternum rosamq; spirantem, choros ducerent lenissimos. Lacedæmoniã vult superare honorata Diua industriam Hieroglypta vrnæ ALEXANDRI MELISSAM depingit, LVNA est, quam inspicis argumentoso opere, quod Sophoclæa Thalia auguratur, diuitias maturæ faustitatis progenerans. Iuit supernis tholis deposita, Sidereum leporem cælis apponens, rorido nimbo pectora, mortalitatis conditione perterrita concutiens. Iuit & ALEXANDRI genus ad parentem detulit, igneq; meliore nutritum Gloriæ immortali transcripsit. Vult & accu-

ratam

ratam excedere in funebri pompa propriam ſolicitudinem, ſimulachrum virtutis, natiuo expreſsum probitatis colore, induſtria bonæ mentis expreſſum, ad ſepulchrale ferculum conſtituit. Ingemiſce, dùm attendis ALEXANDRVM, tot rectè factorum ab eo præoccupatas fuiſſe occaſiones in tenerâ ætate: ad ſolidum pietatis penetral properat, te vix quidpiam memorabile aggredi, quo æternæ vitæ iucundas paciſci poſsis delicias. Accēdaris animo vehementiſsimè Scipionum Metellorum more ad virtutem ALEXANDRI, ac generoſæ mentis explere ſcias cōtentiones, vt Gloriæ & nomini tuo à ſitu inutilium rerum pigneratus, non modo præſtantiam bonæ felicitatis, ſed etiam Magnificentiam, Pietatem, Fortitudinem, Conſtantiam, Religionem, Modeſtiam, Prudentiam, quæ ſumma in ALEXANDRO ad Miraculum iuuenilis ætatis luxiſſe didiciſti, ad tuam Felicitatem omniumq; communem vtilitatem, voluptatem, incolumitatem poſsis traducere.

RVS-

RVSSIÆ SPES

Vbi homines religiosè pietatē colunt, & bellicis in rebus exercentur, & se vt dicto sint audientes condocefaciunt, qui nō isthic consentaneū sit optima spe cūcta plena esse.

Xenoph: oratione de Agesilao.

HYems erat, & streperæ murmur subsederat vndæ,
Cana pruinosis Russia flebat agris,
Arua per inspectans Scythico calcata Procustæ,
Totq; legens cippos collibus atq; vijs,
Pergama nobilium fuscis quondam inclyta ceris
Atrata, hæredem flere, piumq; Larem
Viderat, in lachrymas cūq; vuida puppa tumeret,
Gemmaret cilijs guttula cumq; suis.

Quid

Quid Nioben imitabor ait? fleat illa Nepotum
Centeno in prolis funere, mille neces.
Non omnis morior: nec ſpem totam obruo buſtis,
Fortior in modicâ ſpes mihi fruge natat.
Cætera ſi doleam, SIENIAVSCIA fama ſupeſtes
Tot mihi quot doleo ſpes iubet eſſe ratas.
Stemmata ſi Getricis exuſta requiro fauillis,
Luna aſtrumq; vllo neſcit ab igne mori,
Extorrem qui Marte furens trans Illyris amnem
Proruat, ex iſtâ gente petendus erit;
Nupera ſpem virtus vrget, memoranda Chocimo,
Qua celer Oſmanicum terruit aura globum.
Dum patriū in cuneos SIENIAVSCIA pectora Mar-
Induerent, crudo lintre meante vado, ((tē
Deſpicerē nam cum Cidares, Thracumq; Sariſſas
Pontus erant; noſtris agmina, linter erant,
Sulcauit tamē, hæc SIENIAVSCIVS æquora ferro,
An dubius noſtræ eſt Typhis ab inde rati?
Iam diademâtis ſi ludit gemma tiaris,
Pars mihi ALEXANDER ſumma nitoris erit.
Cæſaries olli puro lenteſcit in auro,
Vel ſacro accendet vellere mitra caput.
Aurea frux, melius triplici ſoboleſcit in agro,
Frux tercentum olim progenitura Duces.

C Pubeſcit

Pubeſcit Fratrum mihi dum Ternarius iſte,
Non querar in vepres Ruſsiæ abire ſatus.
Sparta mihi fortes iactet ſi maſcula fætus,
Tres ſimiles vno non dabit illa thoro.
Herculeo partu iactet ſe Alcmena Parentum
Natos læta ſibi Lux ferat vna duos.
Iphiclum atq; Deum: non par eſt robur vtriq;,
Hic angues infans comprimit, ille timet.
Deniq; ſi matrix eadem fudiſſet eundem,
Hæc laus ſumma foret progenuiſſe duos.
Aſt SIENIAVIÔRVM ſe triplex Gloria ſtirpis
Ni ferret, poterant laude nitere pari,
Gloria ſed numero fulgebit in impare quæ par!
Quos titulos nectes hîc bona fama pares?
Dixerat & tenui properans veſtigia planta
Pinxit nimboſo concita calle pedem.
Nec ſtetit optato donec Brzezania curſu
Culmina & aſſuetos Virgo ſubiret agros.

CATASTRO-

CATASTROPHE SPEI.

O fallacē hominum ſpem fragilemq́; fortunā & inanes noſtras contentiones: quæ in medio ſpatio ſæpe franguntur & corruunt, & ante in ipſo portu obruuntur, quam portū conſpicere potuerunt.

Cicero 3. de Oratore.

RVſsia ſic ſperans cliuo ſe miſit aperto
Tecta ſub aurato ſplendidiora tholo.
Mille vbi maiores animat plutealia vultus,
Et SIENIAWIANAM ſidera bina facem.
Pone hic conſtiterat, tetro nox obſita luctu
Tignaq; ſub pullâ veſte dolere videt.
Prôh dolor accenſus lychnus fatale rubeſcit,
Succida funereo ſqualet abolla ſitu.

Infremuit, luctu atq; metu, creperoq; propinquat
Gressu, ad sepositum quo stetit vrna locum.
Vmbrosam molem & mæstos miratur amictus,
Et nullâ tecti parte venire diem.
Semiânimi demum lugubria serica dextrâ
Submouet, illi oculus sed timet ire comes.
Increpat illa oculum: si fatis tristibus inquit
Vrgemur, decuit TE TVA scire pati.
Ergo reluctantes oculos protrudit in vrnam,
O mors hos etiam frigore sæua gelas?
Peneq; seruaßent glacialis nomina fontis;
Ni dolor egelidas sponte liquâßet aquas.
Frangitur è vitreâ suspensa crepidine lymphâ,
Et veluti verno depluit imbre gena.
Vox etiam tacito gemuit suppressa palato,
Tales vulgo animos ingeniosa sequi.
Ardet ALEXANDRVM totis geminare medullis,
Sed vox litterulâ sæpe priore stetit.
A. fari eualuit tristem sine nomine vocem,
Nescit ALEXANDRVM præfica lingua loqui.
A. A. congeminat: stupuêre emortua verba,
Et cupiens Mortem dicere, dixit Amor.
Admirata suos laudauit vocula casus,
Et gemitus inter nil nisi luget Amor.

Siue

Siue ad litterulam reliquum vult cogere nomen,
Seu te Mors cupiat dicere, dicit Amor.
Denique iam primo ex elemento ducere vocem
Te nec ALEXANDER dicere vult nec Amor.
Spéq; vocat, vim, corq; vocat; quasq; vnica voces
Syllaba concludit, vox sibi Mensq; dabat.
Spes ô spes, inter singultus, LVX, ait, ô LVX.
O mors, hic verbo subdidit arma dolor,
LVX est Mors, inquit, Mors spes mea, corq; meũ
Omnia mista, atrâ, sic sua Morte putat. (Mors.
Arida tum demum queritur solatia, nuper
Messuit è triplici quæ sibi prole parens,
Cumq; in facundos sterilescere viscera questus
Aspiceret, lachrymis, Pieris, inquit, ades.
Flete meos casus, facilis queîs Nænia Musæ,
Aptior haud vestris imbribus vlla seges.
Mæsta Leopoleos vox currit ad vsq; Poëtas,
Queîs sacrâ assiduus ludit Apollo domo.
Instaurant lachrymas, memoriq; inscribere chartæ
Nil præter lessos eualuêre suos.

LESSVS

LESSVS NOBILITATIS.

Omnia in quæ dominium casus exercet seruilia sunt: pecunia & corpus, & honores, & nobilitas imbecilla fluida, & mortalia, possessiones incertæ. Illa rursus libera & inuicta opera virtutis, quæ nō ideò magis appetenda sunt, si benignius à Fortuna tractantur, nec minus si aliqua iniquitate premuntur. Romanus Doctor.

Morum lib: 9. Eplā 67.

ISmaris tristes querulosa planctus
Alitis fractâ renouat cicutâ,

Myr-

Myrrha fæcundas lachrymas reuoluit,
Thessalum carmen modulata fato
Tantalis ardet,
Itys OEneos imitata cantus,
Lechiam salso vitiauit imbre,
Fertilis fundit gemebunda lessos
Vincta cupresso.
Videt vt Polona virtus,
Roseâ corusca flammâ,
Tragicâ manu subacta,
Sterili pedem mirycâ
Impedita, ferculum
Iaceat perennis vrnæ,
SIENIAWIOS nitores,
Rigida reponat vrnâ,
Inhonora Parca falce
Lechiæ iubar serenum,
Tragico momordit ausu
Iacet ille fulgor orbis!
Iacet ille fulgor Vrbis,
Noua LVX iacet Tritonis,
Noua LVX cadit Polonis,
Prensat ALEXANDRVM magni per scita Senatus
Inter Quirites Mascula Heröas

Virtus

Virtus, repoſtûm Glorioſæ
Quem deſtinarat palæſtræ.
Ibat ſereno ſidere Regiam
Et auſpicatos promeritus Patres,
Secreta prenſans fauſtitatis
Ambroſios retulit fauores
Ibi Modeſtos,
Ibi ſolemnes,
Charitum litauit ignes,
Niueos ſatus Mineruæ,
Faciles libras Aſtrȩæ,
Vincens probroſi
Iurgia Fati.
Sauromatum Dryades iuuenem cinxêre coronâ,
Dūq; choros reparāt, pulchrâ Garamātide pectus
Ignitâq; beant face; quam Sapphirus in auro
Pegmate nutritum iuuenili corda reponit,
Aurea baccatis addebant floribus aſtra,
Felices iuueni ſpondentes carmina Faſtos.
Quælibet blandos repetit ſuſurros,
Flaccidas nunquam relegit corollas,
Mulcet & cantu liquido labores,
Gemma Polonæ,
Aurea pacis,

Fundit

Fundit amores,
Togata prendens
Ocia, castos
Mente perpluit satus,
Et Tonãtis ardet auro,
Et sonantis ardet æui,
Et silentis vrget æui
Fæderatum ver metallo,
Per amæna purpureta
Prẽndet aureos Corymbos
Variatus igne vultus
Generosiore flammâ
Adolescet ignis Orbi
Pulchro rutilans flamma nitore,
Quæ Sieniaviûm bene fixa tholis.
Mille dabit soles vernanti sidere, castos
Ignibus agglomerans per seria facta pyropos,
Ignis ALEXANDRI producit mille colores
CYNTHIÆ cursus melior rotabit,
SIDERIS flammas potior nouabit.
Deq; fronte floris aurum,
Deq; corde veris aurum,
Deq; lingua roris ambras,
Deq; flore deq; rore,

Deq; gemmis deq; flammis
Fundet æternos patriæ lepores,
Aurea casto pegmata corde,
Lechiæ figet pegmata corde,
Inter sceptra Monarchiæ,
Inter sidera Principum,
Inter Lumina Ciuium,
SIENIAWIÔRVM Lampada tollet,
Viuace flammâ,
Tenace mente,
Auspice sidereo lustrabitur illa nitore
Cruenta præliantium
Arma vinciet catenis,
Legibus castæ simul educatus
Palladis; sensim Calydona nollet
Bella tonare,
Hæ SIENIAWIOS ignire volunt
Variata fata,
Mente fraudes, mēte culpas, mēte mortes obterūt.
Calcantq; fati spicula
Vndiq; pluuijs diues oberrat
Imbribus aurum
Ditat agros, ditat orbem, ditat vna pectoris,
Virtus recessus,
Nec

Nec morte lusos,
Patitur amores,
Funereo spaciata furit Clotho licet ausu
Verus ALEXANDER desudat pectore castas
SIENIAWIIS Pietatis opes, submittit & vrnæ
Delicias, sacris & secula proluit vndis
Siderum cinctu redimita prêndit
Symbola pacis
Aureos prêndit melior colossos
Et saginatus precio beati
Roris influxu roseum lacunar
Dotalem meritis aspicit orbem
Dulce ridens, dulce cernens
Lumina Sauromatum lacunar.
Sospes ALEXANDRI fortunat Gloria passus
Perq; famam, perq; terras, perq; cœlum
Sospitam vouens solo,
Sospitam vouens polo
SIENIAWIORVM buccinam.

LESSVS ADOLE-
SCENTIÆ.

Nullus tantum vixit vt non ſibi modicùm vixiſſe videretur, & eſt planè modicũ quidquid hîc viuitur: itaq́; ſi diu viuere delectat, vitam illam quærite vbi ſemper viuitur, quæ etſi hîc non ſit, tamen hîc quæritur.

Franc: Petrarch: De Remedio vtriuſq; Fortunæ libro 2.

VDæ trudite puppulæ
Largas Iride guttulas,
Impubes pluite imbribus
Oriſq; genæ
Cordiſq; genæ.
Vires ver quibus integrat,

AEtá-

Ætatisq; virentibus
Ludit vita crepundijs,
Flete perit ver
Refugum, flete.
Mors repit viridario
Primos surripiens satus;
Falcis decutit impete
Veris rores
Veris amores.
Flores credite: iam minor
Aret gleba Hyacinthulo,
Rapto flore SIENIAWSCIO.
Area plange
Plange rubella.
En quæ flore comantibus
Nuper veris amoribus
Gemmabat rosa: frigidâ
Vrnâ tegitur
Liuet in vrnâ,
Malis purpura decidit,
Squalet frontis amænitas,
Pingit Morta coloribus
Iuuenesq; senum
Iuuenumq; senes.

Rores Heſperio Venus
Ortu quid pluis aurea?
Mortis cum tibi faſcinus.
Violaſq; lutet,
Liliaq; lutet.
Flauo verbere candicans,
Lux Hyperionis occide,
Imbellis, cui vult tuos,
Mors rapit ortus,
Rapit occaſus.
Mors ſerotina proruit,
Incunabula roſcida
Lucis primitiæ; imperat
Mors æqua polo
Mors æqua ſolo.
Formâ neſcit ab illici,
Quæ formâ viduis hiat
Mærens oſsibus, implicat
Pulchraq; fædis
Fædaq; pulchris.
En qui mille modeſtia
Gentes, Sarmata nobilis
Caſtis quiq; pudoribus

Fle-

Flexit Iberum
Italum flexit.
Virtus æmula quem polo
Romæ ſcripſit in aureo,
Centum ſcripſit amoribus
Hic iram acuit
Mortis hic iram.
Meſſus ſed licet arido,
Flos hic puluere marceat,
Centum pictus amoribus
Corde vigebit,
Ore virebit.

LESSVS DIVITIARVM.

Tunc animus noster habebit, quod sibi gratuletur, cum emissus tenebris redditus cælo fuerit, sursum illũ vocant initia sua. Roma: Stoæ Geni:

Lib: II. Episto: 80.

FVnesta peplo barbaricos minax
Tendebat arcus, Parca ferocior,
Pompasq; voluebat paratu
Sauromatis tragico fouendas.
SIENIAWIORVM constitit vbere
Depressa Famâ, funera stamini
Et purpurato quæ dedisset
Erubuit; tenuitq; falcem.
Lumen retorsit Gloria, posteris
Defixa fastis. Risit, & asperam
Prendens sororẽ: Quid procace

Sidus

Sidus ait popularis ausu?
Nunquã fatiscet SIENIAVIUM iubar:
Ignitus illi stat vigor, aureo
Ponendus orbe, quem Deorum
Pro meritis Prytanæa poscũt.
Lucrũ putatur. quod facile est mori.
Vitæq; pignus; præmia deperit
Venustioris flos colossi,
In patrio rubicundus ostro.
Hæc fata cernens, tabuit: impetus
Funesta vindex torsit in inclytos
Vitæ pyropos, & decoram
Eripuit violenta gazam.
I mitte cippos effodiens manu,
Fodit canendas exuuias; feram
Falcemq; mordens, de cupresso
Imposuit tumulo colossos.
Et lemma figens dixit: Ab aureis
Præcisa nunquã spes veniet tholis
Fasces tiaratos, repanso
Incinerat Libitina busto,
Sed non perennes pectoris asperat
Ignes, pauendã concutiens facẽ:

Mens Diphteras prendit Deorũ,
A fragili viduata cenſu ,
Exlex cadiſci funerei , petit
Gentile ſêclum ſoſpita portio :
Et iure caſto , poſsidebit
Mancipis æthereum lacunar.

ELOGIVM

ELOGIVM.

QVONAM CONDIGNO ADOREAE LAVDIS PRAECONIO TE ORNAVERIM MAGNANIME IVVENIS, AMPLISSIMA VIRTVTVM ET FORTVNATA MAIORVM TVORVM GLORIA INCLYTE. INVSITATA SIQVIDEM ANIMI TVI CONTENTIO OMNEM VEL INGENTIS FACVNDIAE LAVDEM EXSVPERAT ET EXCLVDIT, SI RVDIMENTA FLORENTIS TVAE AETATIS AD VIRTVTEM COMPOSITA EXPENDANTVR, ET COLLATIONE AEQVALIVM COMPARATA AD AMPLEXVM BEATAE FORTVNAE MATVRO FAECVNDOQ; PASSV PER SAPIENTIAE ET ERVDITIONIS CVRRICVLVM PROPERANTIA AD CALCVLOS BONI IVDICII EXIGANTVR. A PRAEALTO NAMQ; SEMINE INGENITA VIRTVS TANTA STIRPIS LVXVRIE COALESCERE CEPERAT VT ALTITVDINE CVLMINIS AD SIDERA FERRI VIDERETVR, NISI IMMITIA FATA VALDE INSIGNI NOSTRI SECVLI INFORTVNIO IN IPSO SPERATAE FAELICITATIS ET HONORVM CVRSV, TE PROSTRAVISSENT, ET TERNAM NOBILISSIMORVM FRATRVM RVSSIACIS IN REGIONIBVS AMPLITVDINEM VNO, SIDERE SVPPRESSO FVNESTASSENT EQVIDEM TV, CVI AD AVGVSTOS HONORES DIGNITAS GENERIS, MODESTIA AETATIS, VITAE PVDOR, FACTORVM INNOCENTIA, SAPIENTIAE THESAVRI, EXPEDITVM ITER REPANDISSENT, PAR HONORVM MAIORIBVS DATVM TVIS CVLMEN TENVISSES, ET STELLATO IN REIPVBLICAE POLONAE CAELO AMPLISSIMVS, LVCIS INGENITAE SIENIAVIIS IMPERATORIBVS PATRIAE ADSCRIPTVS IVBAR IACVLARERIS. SED QVIS ADMIRABILES TVOS NON ADMIRETVR CONATVS, PACATIORA ORNAMENTA CONGERERE COGITASTI AD FACILITATEM GENEROSAE MENTIS SOLIDA PIETATE INNVTRITAE, SACRATAE PALLADIS PRENSASTI DEXTERAM, CVIVS ADMINICVLO HEROS PVRPVRATVS. LATICLAVIO SENATVS ECCLESIASTICI ORNATVS, MERITO TVO VNI-

O VNIVERSAE POLONIAE ILLVSTRISSIMVS LVCESCERES, DOMESTICAM NON INQVIRO LAVDVM TVARVM TABVLAM NEQ; FASTOS RECLVDO GENTILITIOS, LAVREATAM TESSERAM PIGNVSQ; GLORIAE AB AFRICA RECIPIS, GERMANIA, ITALIA TOTA INNOCENS APPELLATVS, IPSA SANCTITATIS PARENS VRBS, ET REGINA EXCOCTVM SAPIENTIA PECTVS CASTIGATA VITA PRVDENTEM ANIMVM SVSPEXIT, POLONAE GENTIS CANDOREM PVRPVRATI PRINCIPES MIRATI FORTVNATAE SPEI PIGNVS POSTLIMINIO REDDENDVM SARMATIAE VOTIS CVMVLARVNT, AD ARENAM PATERNI SPECTACVLI, IN CIRCO SAPIENTIS DEXTERITATIS PRAECLARAS VT PASSIM HONESTI COPIAS PRODVCERET, AD SPECTATAM AMPLITVDINEM EVOCANDAS. DIFFVDIT ERGO ARDENS TVA VIRTVS ET VIVIDA AVSPICATVM LVMEN, INQ; PRIMO SVI RADIO HEROAS SARMATIAE FVLGORE PERCVLIT INSOLITO, VT ILLVSTRISSIMVS MAIORVM TVORVM EXEMPLIS PAR EXTITERIS, QVIBVS NON IAM CEREA ET COLORATA SIMVLACHRA, QVAM VIVA ET EXPRESSA MONIMENTA VIRTVTVM PERENNATVRA HONORIS ET GLORIAE REPONERET INCREMENTA. PRAECEPS NIMIVM FVIT FATALIS NECESSITAS QVAE MVLTIPLICEM FLORENTIS TVAE AETATIS HONOREM AMICABILITER IN SPEM PATRIAE INDVSTRIAM PVLLVLANTEM INFESTA VIOLENTIA ASPERAVIT. EXCEDIT TAMEN ANIMI TVI EXPLICATA PRAESTANTIA MORTALITATIS FVRORES NVLLIS GLORIAE FINIBVS DEFINITA : EGREGIVM TVVM NOMEN AD MATVRI HEROIS, ET CVM OMNI FORTVNA BENE COMPOSITI VIDETVR CONTENDERE CVI STATIO ORBIS ERIT VNIVERSVS, PRECIVM, IMMORTALITAS FORTVNATE INTEGERRIMO TVO ANIMO DEPENSA NVMINIS ARBITRIO. SALVE ALEXANDER SIENIAVIORVM GLORIA, CONTINENTIAE DELICIVM, SAPIENTIS PRVDENTIAE MIRACVLVM.

PIIS

PIIS MANIBVS ET Æternitati Sac:

ALEXANDER SIENIAWSKI

Generis, Virtutis, Sapientiæ.

ILLVSTRE EST DEPOSITVM HOC MONVMENTO ORNAMENTVM.

Ætatis florem in amplissimas spes Patria transcripserat.
Pietatem Honos ad passus purpuratos extulerat.
Modestiam Vota Ciuium in amore defixerant.

Germaniæ Delicium,
Italiæ Corculum,
Sarmatiæ Miraculum

Ad Fortunatam Patriæ natum salutem
SIGISMVNDI III. MERITVM AMOREM.
WLADISLAI PRINCIPIS AFFECTVM.
SENATVS VOLVNTATES.

Importuno tempore, superstite Matre Fratribus mærentibus.

MORS TRVCVLENTA.

Funesta iniecta dextera.

Infida Febri bacchante.

Feliciter victurum.

Sustulit.

Tollito næniam, præficas arceto, cupressos conuellito, ver aget vrna cum æternitate duratura.

Dic.

Spes fæcundæ mortalium mortalitate corruêre.

Anno M. DC. XXII.

ALEXANDRO. viuente

ANNOS XX.

Non

Non viuere bonum eſt, ſed bene viuere: itaq́; ſapiens viuit quantum debet, non quantum poteſt. cogitat ſemper qualis vita non quanta ſit. Stoicus DOCTOR Lib: 10. Epiſt. 71.

Subſiſte, marmor imperat, Manes petunt.
Cippo hoc ALEXANDER hominis quidquid tulit
HOMO poſuit. Felicitates. Purpuram.
Ætatis aurum. Ver. togæ; Generis iubar.
Clauduntur vrnâ. VOTA · SPES Lechiæ ſimul.
Sed MENS dicata Gloriæ, & Virtus ſuum
Proſpectat Ortum, vindicans Manes pios
Putente buſto. Lemma. cernis Gloriæ
Famæq; penſum: Curre ſed Fati memor
Mortalis æui ſtatio te Cælo locet.
Virtute nixum· mollit hæc Fati viam.

ASTRI

ASTRI SIENIAWSCII FVNERA.

MARmor ALEXANDRVM telluris & vmbra tegebat
Densa vbi congesto rudere terra latet.
Viderat hoc patriæ LVNÆ FAX, viderat astrum,
Vtraq; sunt cælos linquere visa suos.
Exul Luna polo, rutilis astrum exul ab astris,
Sub Patriâ voluit condere sidus humo,
Et Domini socio tetrum liuescere saxo,
Vt LVX vmbra foret pulueris, vmbraq; LVX.
Vmbra sed & puluis timuit, res deniq; versa est
Vt LVX vmbra foret sideris vmbraq; LVX.

LACHRYMÆ MORTE FRIGIDA COALESCVNT.

FLEbat Sarcophago tristis subnixa iuuenta
Virtutum flebant agmina, flebat Honor.
Et querulo patriæ stillabant lumine guttæ,
Et proceres lachrymis immaduêre suis,
Tot rores calido soluebant corde vaporem,
Sed ros vt tetigit busta, pruina fuit.
Lugebant lachrymæ in subitam se scire pruinam,
Inq; vrnâ rores absq; calore mori.

Ergo

Ergo præcipites tumuli se in viscera condunt
Mors inibi: mirum est, concaluêre tamen.

LEVI SEPVLCHRO GRANDIA TEGVNTVR.

TErræ SIENIAVSCIO secat vna decēpeda partē,
Tam breui ALEXANDER parte cubabit humi?
Illæ spes patriæ, simul hac tumulantur in vrnâ?
Quêis olim breuior Lechia limes erat.
Vota è centeno quæ legit Sarmatis ore,
Vrnæ sunt Domini tristia vota sui?
Sub tumulo tot opes: iam cæde Semiramis, at cur
Fles tamen ô Lechis? sub tumulo tot opes!

PATRIA MÆRENS LECTORI.

HIC refugos cineres & tenuîa pignora licis.
Nati luctifico mater in imbre lauo.
Quos tamen extincto nemo fle sanguine cassos,
Nutrit eos oculi vena cruenta mei.

EADEM.

CORpus forte iacere putas hic? falleris hospes,
Syllaba nam prima, è corpore rapta iacet.

MORTIS AVDACIA.

DVm mediū fratrū Mors hūc rapit: improba nus-
Est sibi per medios visa ruisse pares. (quam

ILLVSTRIVM FRATRVM FRATRI CHARISSIMO MONIMENTVM.

CÆdere fraternis si CARIA Marmora bustis,
Cogere in alternum si libuisset ebur.
Ipsa suæ nollet cladem portendere moli
Memphis, portentis ebria sæpe suis
Non Helicarnessêi superest quæ gloria busti,
Fornice vel cuperet succubuisse pari.
Sed nihil æternâ morituri condimus arte:
Ridet Fraternus pondera tanta cinis,
Læui ergo voces cædemus marmore: Frater,
Est hic, & absq; licet sanguine, Frater hic est.

NOMEN SIENIAWSCIVM MORI NESCIVM.

MArmor id est, si quod lateat sub marmore quæ-
Est quod viuo olim corpore corpus erat; (ris;
Sed postquam cum animo corpus nox abstulit vna;
Sunt mihi ab ereptis nomina sola bonis.
Nomina ALEXANDRI SIENIAWSKI, lædere nescîjt
Mors, quæ cælesti stemmate sculpta vides.

MORTV-

MORTVVS HOSPITI.

Hoſpes Aue P.

(res,
PLurimũ Aue, tumulo quod noſtras mittis ad au-
Plurimi ALEXANDER fit mihi cauſa metus.
Nam cùm diuitijs mortem nec parcere formæ
Perlego; litterulam transfero, & ecce Paue.

TVMVLI EPIGRAPHE.

NON VLTRA

HIC ſua ALEXANDRO poſuerunt fata columnas
Hîc vbi Plus VLTRA pergere non potuit.

Occidens.

SOL hic candidus occidit SIENIAWSKI,
En cum ſidere ſola Luna manſit.

SEPVLCHRVM EST.
Illud contegit.
Quod mori facillime potuit
Spes Humanas.
ALEXANDRVM SIENIAWSKI.

ROMANA LINGVA * LVGET SIENIAVVSCIVM.

Stabo
perẽnem
eiaculatura
moles SIE-
NIAVIAE stir-
pi gloriã, aduersus
impotentis inuidiæ
Cauros immobilis fasti-
giata prætẽdens culmina
ad perniciẽ infidæ sortis, ad
interitũ calamitatis. Vigor
ALEXANDRI SIENIAVVSKI
me, cũ æternitate cõposuit, vt flo-
rẽtẽ pietate modestiáq; virtute Heró-
em à fatis vindicarẽ, cuius elaboratam
generositatẽ non Pyrgotelis celto, sed
Honoris dextera ad miraculum ad amo-
rem, effigiatã Europæ explico. Cariem si-
tũq; marmor nescit, incinerari virtus ALE-
XANDRI non poterit, cuius animus excel-
sa spectauit & fortia purpuratus dedisset symbo-
la, sed occupatã virturẽ maturus animus delegit, cũ
hac floridã vt perẽnaret ætatẽ. AEmulare & ardesce
virtus te vocat & prensatrix Gloria, cui tu ne seram de-
deris aurẽ cogita, post enim pænitebit Defixit Sapientia
CHRISTIANA. M.

Pyramis ẽ marmor: quid sospita fama loquetur?
Fortia SIENIAWII facta fuisse canet.

*

OSCA LINGVA PLORAT SIENIAWSCIVM

Ad-
uerte &
errantia ne
te turbassit
æuitatē probi-
ter accipe. Non
cinctutus isthinc
iuuenalis fruniscitur
tur infortunitatem:
quippini magnitas vt
morigeraret probiter ex-
obsecrauit claritati. Ma-
nus elexit vitai faustitatem
vanauit persuastricem volupiam
displicina excantata olli pigrabat:
nec potesset rebitere aut patruissimo
ingenuato incordiare differitates vi-
uūdi, quoi clarare pulchrai magnitai
& fortescere adlubesserat. Mortualis olla
euitauit vt dataret æuitatem, Dispennit Du-
beno ameca lætitudinem nitcatum cinefacit
lamentarium opprobramentum ALEXAN-
DRO simitu porcet rataque ornatum, non
mestiter aut exequiando caduciter, munis ad cla-
ritudinem, concordis ad luculentitatem.

Depultus vigor est, non lūcūs Morta pigrauit
Olla tibi mano non cinefacta cluit.

SVPREMÆ LA-
CHRYMÆ.

IAM cataracta tuos præturgida claude liquores.
Fæcundo liuet ſciſſa dolore gena.
Puppula Palladios madefacta côercet honores
Vltro Dijs, ſalſo Manibus imbre litat
Non Parium Marmor lachrymosâ Voce profatur,
Vox etenim preſſâ fauce, dolorq; ſedet.
Inquit AVE TIBI TERRA LEVIS SIT. Marmor & Vdũ
Præ fletu, æternum Verq; Roſasq; ferat.

AVE SVPREMVMQVE VALE.

NIL reliquit fæcundus dolor præter Lachrymas busto tuisq; Manibus ALEXANDER inspergendas. Sœuijt impotens Syrius depastus amplissimum florem, sed virtutis & Gloriæ meritò à calamitate Fati vindicatum, vt iam non Memphiticos colossos Mausolæaq; desideret, tota Polonia visceribusq; patriæ ad immortalitatem perennaturus. Hoc tibi Marmor, Hic cippus. Quãquam maior ætate Fortuna tua excedit amoris id pensum à pietatate debitum, cui cælum reponit meliora Symbola seria virtute pignerata.

VALE.

PATRIAE SVBSIDIVM
SPLENDOR GENERIS
MATRIS DELICIVM
FRATRVM ORNAMENTVM.
MVSARVM SOLATIVM.
MODESTIAE MIRACVLVM

SEQVIMVR.

Vtinam voto, Virtute, pari Pietate

S. T. T. L.

Vixit ALEXANDER busto dat Pallas honores
PATRIA, REX, FRATRES, Vota SVPREMA
VALE.